



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XIII. Methodus compendiosa audiendi Missam privatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

„ bonum, atque unica salus animæ meæ es,
 „ Sensibus & operibus meis lacerrimæ hu-
 „ manitati tuæ omnino me conformem con-
 „ stitue, meque gratiâ tuâ, uti desidero, homi-
 „ nem effice secundum cor tuum.

CAPUT XIII.

*Methodus compendiosa audiendi
 Missam privatam.*

QU, Sacro decantato cum non adsit, au-
 dit privatam, eandem facit oblationem
 atque sub Elevationibus adorationem, nec
 non actus eosdem pro spirituali communi-
 one. Suum ibi non persolvit pensum hora-
 rium, nisi fortè extraordinariis præpediatur
 occupationibus. Quin potius interiùs occu-
 patur, Missam in tres partes distribuens. Pri-
 ma est ab initio usque *ad Sanctus*, quæ est ei
 loco præparationis: Altera est à *Sanctus* ul-
 que ad *Agnus Dei*, quæ sacrificii habet obla-
 tionem: ac Tertia est ab *Agnus Dei* usque ad
 finem, in qua fit communio spiritualis.

Quantum attinet ad primam, initio præ-
 mittit directionem, ut habetur Capite præce-
 denti. 2. Cum Ministro dicit *Confiteor*, inte-
 riùs agnoscens peccata sua, eorumque petens
 veniam per intercessionem Beatissimæ Vir-
 ginis & omnium Sanctorum. 3. Intentioni
 Sacerdotis quoad orationes, cæterasque pre-
 ces suam adjungit. 4. Reliquum temporis im-
 pendit Memoriam Passionis Domini nostri
 Jesu

Jesu Christi, & effusionis sanguinis ipsius, cu-
jus ipse Salvator continuam ulque ad finem
mundi Altaris Sacrificium esse voluit com-
memorationem. Quam proinde oblivisci
nulla debet quis ratione.

Quantum ad secundam, sacrificium offert
ea ratione, quæ etiam habetur capite supe-
riore. 2. Exhibet ad Elevationes adoratio-
nem pro omnibus illis, qui Dominum no-
strum in isto mysterio non agnoscunt, ne-
que adorant. 3. Petit suam propriam salu-
tem atque omnium errantium conversio-
nem. 4. *Pater noster* recitat unâ cum Sa-
cerdote.

Quantum ad tertiam, facit communio-
nem spirituales, rogando Dominum no-
strum, ut ipsum illius virtute Sacramenti gra-
tiâ suâ coroboret. 2. Gratias agit suam unien-
do intentioni Sacerdotis, orationes in gratia-
rum actionem dicentis. 3. In fine benedictio-
nem illius, ut filius à patre suo, recipit, fore con-
fusus, ut cum illa ac per factam super illum
Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii ac Spiritus
Sancti invocationem gratias è cælo accipiat,
ut suis stet promissis, futurum videlicet, ut to-
tus sit Dei.

CAPUT XIV.

*Brevis conscientiæ discussio
ante prandium.*

Duabus de causis discussionem istam in-
stituimus. Prima est, ut renovemus
bonum